



S. Odilo Abbas. Cura defunctorum

[Köln], [1654]

S. Petronilla Virgo. Resignatio in morbis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71907](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71907)



S. PETRONILLA VIRGO.

Resignatio in morbis.

B. PETRONILLAM venerantes, Domine, pio favore prosequere; ut, sicut illa morbo profecit ingratiâ, nos quoque, dum caro infirmatur exterius, interiori corroboremur virtute.

Ora pro clinicis & infirmis.

✠

lis fi-
garia
here-
tasse.
Natus
m vo-
it; ad
edere
nuas
exer-
m, pie
ax ac
n filia
ideles
a no-
rater
fecit.
ifficili
adere
i, Ar-
orum
libus
et; in
obiit
es, &
sunt,
h. 3.

PETRONILLA, nobilis Virgo Romana, illius verosimiliter Petronii consanguinea fuit, qui primas apud Neronem in amicitia tenuit, tam impurus vitâ, quam pudica illa. Hæc S. Petri, non secundum carnem, sed spiritum filia, ex eius voluntate decumbebat clinica. Tum discipulorum aliquis interrogavit Apostolum, cur infirmos omnes curans, illam jacere permitteret. Petrus vero (ut altioris id esse consilii doceret, non impotentie) surgere eam iussit ac ministrare eorumq; decumbere. Postea autem in Dei timore firmior, non solum convaluit PETRONILLA, sed & gratia curationum claruit. Ita litteræ ad SS. Nereum & Achilleum exules Roma datæ circa anno 96 vel serius: morbus autem ejus præcessit annu 65. Narrant etiam litteræ illæ, ut rem memoria recentissimæ, quomodo Flaccus Comes, nimia PETRONILLÆ speciositate captus, miserit qui sponsam sibi adducerent, pene pro imperio. Illa caute dissimulans, tridui poposcit inducias ad apparatus nuptiarum: sed precibus jejuniisque id impendens, sumptis sub finem Sacramentis, expiravit.

Placeo mihi in infirmitatibus meis in angustiis pro Christo: cum enim infirmor, tunc potens sum. 2 Cor. 12.